



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

7. An excommunicatio sit actus irretractabilis, seu irreparabilis ad ornatum Concilij Tridentini sess. 13. cap. 1. de reforma? Et explanatur, quænam sint gravamina irreparabilis ex Declaratione Sacrae ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

6 Tractatus I. De Excommunicatione,

Quæ nunc est in rem 9. et. 2. Ref. 161. §. 4. in fin. & late ibi in Ref. 109. & quæst. 24. num. 4. citat. & sequitur, ante illum adduxerat Bobadilla, in Politica, lib. 2. cap. 28. n. 95. in Glossa, l. B. Probat hanc opinio ex cap. Perpendimus de sent. excommunicat. et cap. 1. de Apostatis, & ex cap. ex parte, qui est 23. in ordine de Priv. & ego ubi supra pro hac sententia cito præstantissimos Theologos, nempe Molinam & Reginaldum ex Societate, Coriolanum Cappucinum, & ex Prædicatorum Familia doctissimum Sylvestrum, cujus verba mirifice faciunt pro N. Sic itaque asserit, verb. excommunicatio 6. num. 7. Ego dico, quod prima opinio id est, Ioan. Andr. est verior, quia in casu cap. Perpendimus, Sacerdos fuit occisus per Iudicem. Nec obstat, quod ibi Pœnitentia imponitur, licet non incidit in Canonem, quia ut ibi dicit Glossa, est ad cautelam. Vnde hæc opinio est prædicanda, ubi iudices Ecclesiastici sunt in puniendo negligentes, vel periculum in mora non patitur eos adire, vel enormitas facinorum poenam maiorem expetit, arbitrio bonorum, quam Ecclesia possit inferre: ut quia sunt publica, & scandalosa, & reipublicæ valde nociva. Et licet degradatio in enormibus prius regulariter requiratur, secus in casu expresso à jure. Adde primo, quod quia ratio, quare competit privilegium fori est professio, vel ordo Sacer, secundum Panormitanum, in capite 11. de for. compet. quantum ad hoc idem videtur iudicium de Clerico existente in Sacris, & de Apostata à Religione, cum æqualiter utrique prohibeatur regressus ad sæculum, quæ est ratio utriusque institutionis. Adde secundo, quod in neutro habet locum trina monitio, ubi de incorrigibilitate constat evidenter: ut quia fuerunt capti & fregerunt carceres, & sciunt Prælatos se insequi & huiusmodi. Hucusque Sylvester cujus verba videntur describere individualiter casum præsentem Clerici N. qui secundum Sylvestrum, & Doctores citatos, jam propter sua scelera enormissima amisit privilegium Fori, nec cum ipso necessaria erat monitio, & Iudicis Ecclesiastici declaratio: sicut etiam individualiter asserit omnino videndus Menochius, tom. 10. consil. 912. Vnde apparet, hanc opinionem tantorum virorum autoritate fultam potuisse à Domino N. adduci in executionem, & sui defensionem, quod in censuram non incurrerit. Verum, quicquid sit de hac questione, & difficultate, circa quam video inter se Doctores acerrimè digladiari; existimo pro defensione D. N. non esse ad illam necessario recurrendum, quia ipse non damnavit ad mortem dictum N. ut Clericum, cum ejus Clericatum prorsus nesciebat: Sed illum tantum Laicum criminofum sibi subditum laqueo suspendit. Et ideo neque in Censuram Bullæ Cœnæ, neque in Censuram cap. Si quis suadente Diabolo, incurrisse dicendum est, & ita ego sentio, salvo, &c.

RESOL. VII.

An excommunicatio sit actus irretractabilis seu irreparabilis ad mentem Concilii Tridentini, sess. 13. cap. 1. de reformat?

Et explanantur, quanam sint gravamina irreparabilia ex Declaratione Sacra Congregationis, facto verbo cum Sanctissimo tunc Clement. VIII. à quibus subditus possit appellare à sententia interlocutoria, & deciditur, quid sint excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura, carceratio, & alia huiusmodi, quæ continent factum, quod infectum esse non

potest. Ex part. 9. tractat. 8. & Misc. 3. Refol. 21.

§. 1. Negativam sententiam in una Eldensi censuraturam docuerunt plures Advocati huius Romanæ Curie, viri quidem docti, quos ego nominatim subscriptos vidi. Idem docuit Antonius Planes Canonicus Ecclesiæ Alnensis, in quadam allegatione impressa, quam approbarunt, & subscripserunt 30. Theologi ex Dominicana Familia, ex Societate Iesu, ac aliarum Religionum, cum doctis Fontanella, Xammar, & aliis luti consulis Barcinonensibus. Quia per actus irretractabiles illi solum intelliguntur, in quibus per revocationem, quæ subsequi potest, non potest concedi restitutio executionem passo ad primævum illum statum, ut docet Alexander, in l. 4. §. Condemnationem, numer. 20. ff. de re iudicata, & ibi Iafon, numer. 24. Sed in excommunicatione per absolutionem plena consequitur restitutio: ergo, &c.

2. Sed ego de hoc casu interrogatus, non potui adherere supradictæ sententiæ, & illam acriter impugnavi, affirmativam docendo. Quæ aptè probatur: nam Concilium Tridentinum, sess. 13. capite 1. de reformat. cum determinasset à sententia interlocutoria posse aliquem appellare, si continet gravamen irreparabile, quod per definitivam reparari nequit, consulta Sacra Congregatio, quanam essent dicta gravamina irreparabilia, facto verbo cum Sanctissimo tunc Clemente VIII. respondit esse torturam, excommunicationem, & carcerationem, ut patet in decreto edito Romæ die 16. Octobris, 1600. quod per extensum apponit Piascius in praxi, part. 1. cap. 4. artic. 15. num. 6. Riccius, in Praxi, tom. 1. refol. 104. Barbosa, in Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. num. 22. & Doctores infra citandi, quorum verba accipe, Leandrus à Múteja in 99. Regularibus, ad cap. 10. Regule S. Francis, quæst. 6. num. 10. [Solo puden apelar los subditos de la sententia definitiva, y no de las interlocutorias, sino fuesse tal el daño, y gravamen, que se le figurelle dellas, que no se pudiesse reparar por la apelacion de la definitiva: assi lo enseñan Peyrinis de Religioso subdito, tom. 1. quæst. 1. cap. 10. per primum dictum, §. Advertendum tamen, y Spathacio tract. 10. part. 4. capite 1. numer. 2. y se prueba, porque assi lo determino Pio IV. universalmente por la Constitucion, que empica: de salute gregis Dominici, la qual refiere Cherubino en el Bulario, tom. 2. in Pio IV. y lo ordeno tambien el Concilio Tridentino, en la sess. 13. c. 1. de reformat. y la razon es, porque la tal apelacion seria frivola, y sin causa, pues el subdito apelando de la definitiva, se podria reparar del gravamen, luego no puede apelar de la interlocutoria, y si ya hiziere no ha de ser oido. Dixe: sino es que el gravamen no se pudiesse reparar por la apelacion de la definitiva, como son aquellos gravámenes, que por el mismo caso, que se los imponen à alguno, tienen luego su efecto, como la carcel, la descomunión, suspensión, entredicho, ò el tormento, de los quales es licito apelar, aunque se impongan por sententia interlocutoria.]

3. Peyrinus de Religioso subdito, tom. 1. quæst. 1. cap. 20. [Gravamina autem, quæ per appellationem à definitiva sententia reparari non possunt, sunt illa, quæ eo ipso quod sunt illata, suum sortiuntur effectum; v. g. carcer, excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura.]

4. Prosper de Augustino, in Add. ad Summ. Bull. Quaranta, verb. Archiepiscopi auctoritas, numer. 20. l. K. [Gravamen irreparabile dicitur omnis actus irretractabilis ferens secum executionem in instanti ut excommunicatio, carceratio, tortura, & alia huiusmodi, quæ continent factum, quod infectum esse

esse non potest, *l. in bello §. Falso ff. de capt. & postlim. ruer.* idem illud gravamen irreparabile censetur. Doctores in *l. Quod iussit ff. de re judic. Diaz reg. 39.*

5. *Lezana in Sum. tom. 3. verb. Appellare, n. 7.* [Cum sententia duplex sit, altera definitiva, altera interlocutoria, ita ut definitiva sit, quæ fertur super causa principali, de qua lis agitur, v. g. an Religiosus fuerit fornicator: interlocutoria verò, quæ fertur super dubiis, quæ emergunt in ipsa causa, v. g. de teste aliquo recipiendo, dilatione danda, &c. idem appellatio fieri potest ab utraque sententia; ita tamen, quòd ab interlocutoria communiter non liceat, nisi continetur damnum irreparabile. Concilium Tridentinum sess. 3. cap. 1. de reform. & sess. 24. cap. 20. de reform. Hoc autem damnum irreparabile est, v. g. tortura, excommunicatio, suspensio, interdictum, imò etiam ex declaratione Sac. Congregationis, incarcerationio.]

6. Idem etiam iisdem verbis docet Naldus in *Summa, verb. Appellatio, num. 2.* Ciarlinius in *contr. jur. tom. 2. cap. 1. §. n. 68.* Zipæus de *jure Pont. lib. 2. tit. de appellat. n. 10.* & alij. Vnde ex his patet, mercedè, ut dixi, non potuisse in illo casu contingenti adherere voto illorum Doctorum asserentium, excommunicationem non esse actum irreparabilem, & irretractabilem; nec enim absolutio postea à censura obtenta, potest tollere damnum ab excommunicato per illam jam incursum, tam ingenti, ut patet, nec indiget probatione: vnde patet responsio ad argumentum Adversariorum.

7. Nota verò, quòd Sacra Congregatio rectè apposuit in dicto Decreto incarcerationem inter gravamina irreparabilia: nam, præter Doctores citatos, ita docet etiam Navarrus in *Rubrica de iudicio, num. 83.* Sforza Oddus *conf. 72. num. 37.* Sylvanus, *conf. 17. n. 2. lib. 1.* Calvacanus de *Brachio Regio, part. 2. num. 13.* ubi dicit, captivam asserere præiudicium irreparabile, sive quoad honorem, sive quoad scandala. Idem docet Genuensis in *Praxi, cap. mibi 70. num. 12.* Matcellus Vulpe etiam in *Praxi cap. 21. num. 10.* & alij penes ipsos: quibus adde Henricum Bocerum (utriusque pius esset Author) *Disputationum de universo iure, tom. 2. Class. 6. disp. 34. num. 20.* quia, præter alias rationes, licet carceratio possit per liberationem de futuro reparari, & revocari; non tamen potest revocari de præterito respectu præiudicii ignominie, damnum corporis, &c. sicut diximus de absolutione ab excommunicatione. Hæc adnotare volui: quia quando casus supradictus hic Romæ agitabatur, visum est aliquibus nimis durum, incarcerationem à Sacra Congregatione appositam esse inter gravamina irreparabilia: sed merito hoc factum fuit, ut patet ex *superius* dictis: unde rectè, & sapienter, ut semper solent, Patres purpurati sic decreverunt.

RESOL. VIII.

An ad valorem censura requiratur contumacia respectu Ecclesie comminantis sub censura?
Et supponitur censuram, suspensionem, & interdictum non posse valide ferri, ac proinde non incurri nisi ob peccatum exterius inobedientia, & contumacia respectu Ecclesie.
Et notatur, quod tripliciter contingit aliquem esse contumacem. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 55.

§. 1. Certum est censuram non posse valide ferri, ac proinde nec incurri, nisi ob peccatum exterius inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesie. Vnde contra Caiet. in *1. 2. §. 69. art. 2.* Almaynum de potest. Ecclesie, cap. 10. & Cordubam in *99. Theol. lib. 2. q. 17.* Ad secundum dicendum est excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum

non posse valide ferri ob peccatum exterius præteritum factum absque inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesie, seu ministeriorum ejus, id est, quando non præcessit aliqua juridica monitio, seu prohibitio, qua monuerint opus illud peccaminosum non esse faciendum.

2. Sed difficultas est ad valorem censuræ, an prærequiratur contumacia respectu Ecclesie comminantis sub censura? & affirmativam sententiam docet Avila p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6. concl. 6 ubi sic ait: Dixi sub comminatione excommunicationis, quia nulla sufficit contumacia, quæ non sit contra mandatum sub excommunicatione, quidquid videatur sentire Covarr. *supra. n. 6. vers. Et hæc quidem.* nam cap. sacro, & cap. contingit cl. 2. de sent. excomm. requirunt monitionem continentem pœnam excommunicationis.

3. Notandum tamen est quòd tripliciter contingit aliquem esse contumacem? Primo modo, quando vocatus à iudice Ecclesiastico sub excommunicationis pœna non comparet. Secundò quando licet compareat, discedit tamen ante licentiam, vel sententiam iudicis. Tertiò, quando licet compareat & perseveret usque ad sententiam iudicis, tamen postea non vult parere sententiæ. Hic triplex modus contumaciæ ponitur in *canone certum est, 11. q. 3.* Ita Avila.

4. Sed sententiam Covarr. tenent Hurtad. de *censuris in comm. diff. 12. n. 15.* quia absque fundamento aliquo talis comminatio requiritur, etenim quamvis ea comminatio non fiat ab Ecclesia, qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit ut censura puniatur. Dicendum est igitur utramque sententiam probabilem esse; sed ego adhæreo affirmativæ tanquam probabiliori, & ideo contra Hurtadum dicendum est cum Soto in *4. disp. 2. q. 1. art. 2. concl. 3.* Molin. *tr. 5. de iust. disp. 71. n. 9.* Suarez *com. 5. in 3. p. disp. 4. §. 1. n. 6.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 12. num. 13.* Graff. *p. 1. decis. lib. 4. cap. 9. num. 14.* Hentig. *lib. 13. de excomm. cap. 17. num. 1.* Sayro de *cen. lib. 1. cap. 9. n. 25.* Vgolin. *eccl. tract. tab. 1. cap. 9. §. 5.* Avila p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 6. Coninch de *Sacr. m. disp. 11. dub. 9. num. 82.* ad valorem excommunicationis desideratur, ut præcedat monitio, non quæcumque, sed sub pœna excommunicationis, & hoc ideo fit, ut contemptus ipsius excommunicationis, & contumacia præcedat, antequam incuratur.

RESOL. IX.

An censura requiratur actum consummatum?
Et ex doctrina huius questionis aliqui alij casus inferuntur, & explanantur pro praxi huius difficultatis. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 56.

§. 1. Respondeo affirmativè, unde quando in iure fertur aliqua censura propter aliquod peccatum, nisi aliud exprimatur, intelligendum est de peccato in genere suo completo, & colligitur aperte ex *c. perpetua sanctionis, de elect. in 6.* ubi dicitur, scienter indignum eligentes non incurrere juris pœnas, nisi adeò in eo persistierint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur. Vbi aperte significatur pœnam non incurri ob peccatum, quod non est omnino completum in suo genere, quòd caruit effectu; & ratio est, quia cum odia sint restringenda, lex imponens pœnam stricte interpretanda est. Ita Præpos. in *3. p. q. 1. de censur. in com. dub. 6. nam. 45.* Avila p. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 5. Suarez de *cenf. disp. 4. §. 1. n. 4.* Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 2. n. 5.* Vnde ex his inferitur, quòd qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia erravit, vel quia impeditus fuit vel aliter, non incurrit excommunicationem canonis

Sup. hoc inf. in ref. 14. §. ult. ad med. vers. Ex his deducitur.